TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

PNEUMONIA.

9

TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE,

DE

PNEUMONIA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

GULIELMUS TAYLEUR,

ANGLUS,

Societ. Reg. Med. Edin. Soc. Extraord.

" *Ut trudit undas unda, fluctus fluctui*
" *Cedit sequenti, pellitur dies die,*
" *Semper premuntur praeterita novis malis:*
" *Dolor dolori, luctui est luctus comes.*"

BUCHAN. Poem.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCV.

Viro Reverendo,

Amico ſuo dilectiſſimo,

Et

Praeceptori ſpectatiſſimo,

THEOPHILO HOULBROOKE,

L. L. B. F. R. S. E.

Diſſertationem hanc parvulam

Studiorum primitias,

D. D. CQUE

GULIELMUS TAYLEUR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

PNEUMONIA.

EXORDIUM.

SI artis medicae proprium eſt, ut tuto, ut celeriter, ut jucunde curet, id ſuo jure haec ars in *Pneumonia* quodam modo vindicare videtur. Quanquam enim vix alius morbus eſt qui violentius urget, ſpatia velocius corripit aut exitu triſtior eſt, in nullo tamen vel citius profuiſſe, majoremve attuliſſe opem, laetioremve praeſtitiſſe exitum, quam in hac de qua dicturus ſum

 Pneumonia,

Pneumonia, ars medica viſa eſt. Quod quidem medicinam profitentes ad artem ſuam ſalutarem exercendam imprimis ducit et allicit. Hanc rem itaque cum mihi ita perſpectam habui, pauca de *Pneumonia*, ejuſque variis indiciis, medendi etiam ratione differenda ſtatui, ut ipſe huic morbo gentis humanae peſti tam immani, quam probata demum poſſim ratione occurram.

Primum omnium de hocce morbo, variaſne ſub ſe ſpecies habeat, inquirere proderit.

Medici, qui ubique fere fuerunt, hunc morbum in duas ſpecies, *Peripneumoniam* nempe et *Pleuritidem*, diviſerunt. Cullenus tamen nomine *Pneumoniae* appellare maluit: "Under this title "(ait vir ille peritiſſimus) I mean to comprehend "the whole of the inflammations affecting ei- "ther the viſcera of the thorax, or the mem- "brane lining the interior ſurface of that cavi-

"ty:

"ty: For neither do our diagnoftics ferve to "afcertain exactly the feat of the difeafe; nor "does the difference in the feat of the difeafe "exhibit any confiderable variation in the ftate "of the fymptoms, nor lead to any difference "in the method of cure. †" Quinetiam Sydenhamus, quo neminem accuratiorem dixerim, idem prorfus voluiffe vifus eft. "Variis hujufce morbi "(ait ille) phaenomenis diligenter perpenfis, nihil "aliud illum effe arbitror, quam febrem a propria "et peculiari fanguinis inflammatione ortam, "qua natura materiam peccantem in pleuram "deponit, nonnunquam et in pulmones, unde "peripneumonia fuboritur, quam a priore gra-"du tantum, et pro majore ejufdem caufae in-"tentione, extentuque latiori differre autumo." Poft tantam talemque auctoritatem, et ipfe, aliorum diftinctionibus neglectis, *Pneumoniae* vocem unam, quippe quae commode fatis hafce fpecies fub fe comprehendere vifa eft, retinendam duxi.

DEFI-

† Firft Lines.

DEFINITIO MORBI.

Culleniana hujus morbi accuratiſſima, et verbis quam pauciſſimis potuit expreſſa, haec eſt. "Pyrexia; dolor in quadam thoracis parte; reſ-"piratio difficilis; tuſſis †."

HISTORIA SIGNORUM.

Varia nec eadem facie ſigna hunc morbum comitantur. Quae horum frequentiora ſint, quaeque ad hunc morbum magis proprie ſpectent, hic recenſeri ſat eſſe videtur. Rigorem, horrorem, pulſum frequentem, quae hujus morbi, quemadmodum et aliorum febrilium ſigna primaria ſunt, excipiunt mox calor auctus, inquietudo, ſitis, aliaque *pyrexiae* indicia, quae complures

† Synopſ. Noſolog. Method.

complures ſaepe dies prius peragunt, quam alia graviora ſeſe prodant.

Dolor jam acerbus, qui plerumque aegrum vehementer angit, eſt et ſitu et gradu varius; interdum acutus, interdum obtuſus adeo ut pondus potius quam dolor ſentiatur: Modo infra ſternum, modo lateri, modo humeris ſubeſt: Sunt et qui dextro lateri ſubeſſe ſaepius putant, inter quos Trillerus. "Dextrum (ait ille) ut "plurimum latus obſidit et tum benignior eſt, "ſiniſtrum vero rarius adoritur †."

Hoc tamen minus conſtat, latus enim ſiniſtrum graviſſimo dolore ſaepe afficitur. Jam vero dolorem, in utro demum latere ſit, inter coſtas ſextam ſeptimamque plerumque accidere inter omnes conſtat, ibique exacerbari dolorem tuſſi interdum ſicca maxime ſub initio morbi, plerumque tamen humida pituitam rarius puram crebrius

† De Pleurit.

brius miſtam citante, ſicuti Sydenhamus recte monere videtur. "Quae ſingulis vicibus ana-
"catharſis rejicitur materia, ſub initio morbi
"pauca et tenuis conſpicitur, et ſaepe ſanguinis
"particulis intermiſta; ſed procedente morbo
"copioſior eſt, et magis concocta ſanguine
"etiamnum permiſto *." Difficultate ſpirandi fere ſemper, attamen varie pro ut res ſeſe habent, laborat aeger; adeo ut miſer nunc in dextrum latus, nunc in ſiniſtrum, nunc in neutrum, ſed nunc vel ſupinus, vel corpore nunc recto requieſcere tantum poſſit. Pulſus plerumque celeres, validi, duri, pleni: Interdum etiam pleni molleſque, maxime circa finem morbi, quo tempore et molles debiles et parum regulares conſpiciuntur.

Signa febrilia progrediente morbo indies ingraveſcunt. Difficultas ſpirandi conſtantior ſimul

* Sydenhami opera.

mul et vehementior; facies rubeſcit tumida; dolor in capite eſt; oculorum vaſa ſanguifera turgida fiunt; pulſus et debilis et mollis; laboranti porro viribus jam fractis, tuſſis violentior in ſummum diſcrimen ne ex toto ſtrangulet, venit. Status etiam inteſtinorum alius atque alius eſt; alvus nunc contrahitur nimis, nunc quam debet fuſior et quae redduntur perliquida. Urina modo tenuis et diluta, nec quid ejus in imum defertur, nec quaſi nubeculas innatantes repreſentat; guttatim parcior, haud ſine dolore, inſcienti interdum aegroto reddita: Modo liberior largiorque, et in qua quid lateritium ſubſidit.

Iſto jam et animo et corpore aeger eſt, ut marceat animus, vexent maxima ſolicitudo, inquies, debilitas, naſcantur raucitas, difficultas loquendi et anhelitus, terreant inſomnia.

“ Eheu

"Eheu recenti corda palpitant metu,
"Mens horret, haeret vox in ipſis faucibus,
"Nec ora verbis pervium praebent iter:
"Nocturna ſic me viſa miſeram territant,
"Et dira turbant inquietum inſomnia,
"Gravibuſque curis pectus urunt anxium *."

"Tandem ſpiritus trahitur cum ſibilo; pulſus formicat; viſus obſcuratur; mens alienatur; extremitates frigent; ſudor in ſuperioribus partibus obrumpitur, et aeger moritur †."

DE SEDE PNEUMONIÆ.

De ſede *Pneumoniae* varias variis temporibus ſententias attulere medici. Alii enim ex vaſis ſanguiferis, aut *bronchialibus*, vel ex pulmonum *parenchymate*; alii ex quadam parte *pleurae*, quae et Culleni ſententia fuit, oriundum eſſe dolorem

* Buchanani Poemata. † Home's Principia.

lorem ſenſere. "To me it ſeems probable (ait "ille) that the diſeaſe is always ſeated, or at "leaſt begins, in ſome part of the pleura, "taking that membrane in its greateſt extent, "as now commonly underſtood; that is, as "covering not only the internal ſurface of the "cavity of the thorax, but alſo as forming the "mediaſtinum, and as extended over the peri-"cardium, and over the whole ſurface of the "lungs *." Attamen ipſa pulmonum tenuiſſima ſtructura acriter perſpecta, externis etiam perpenſis quibus ſemper ſubjiciuntur pulmones, et unde affici poſſunt, minus mirum videbitur, ſiquis, contra quod vir celeberrimus putavit, in aliqua horum parte *Pneumoniam* ſedem, vel inde originem ſumere dixerit. "The lungs (ait "Pringle) are often inflamed, and often with-"out the pleura, but the pleura never without "the lungs †." "Inde falſo (ſic arguit Trille-

* Firſt Lines. † Diſeaſes of the Army.

" rus) ſola pleura vocatur pleuritis: Multos " pleuriticorum periiſſe, quibus ſoli pulmones, " ſalva tamen pleura, inflammati, pure repleti, et " pleurae plerumque adnati fuerint *." Haec eadem celeberrimus Morgagni docuit: " Vix in " quatuor, (ait ille) de quibus a nobis poſtremo " ſcriptum eſt, pleurae inflammationem depre- " hendit, ſed in duobus levem adeo, ſi cum an- " nexi pulmonis inflammatione conferretur, ut " ab hoc in illam, non ab illa in hunc, progreſ- " ſam eſſe exiſtimares †."

Pleuram non ea eſſe eximia facultate ſentiendi, qua exiſtimata fuerit, minimae nervorum portiones, quae eam ſuppeditant, arguere videntur: Quin etiam experimentum a Profeſſore Monro captum hanc opinionem prorſus refellit. Cum enim *pleura* jam inflammata in quodam caſu ſub manu hujus peritiſſimi viri eſſet ſcalpta, aeger nec

* De Pleuritide.

† De Sed. et Cauſ. Morb.

nec queri de gravioribus doloribus, nec moesſtiores querelas mittere viſus eſt †.

Pleuram vero facillime inflammari poſſe ex crebriore diverſarum inter ſe partium adhaeſione ſatis patet. Partes poſt mortem adhaereſcentes et inflammatae, ſaepius inveniuntur, cum tamen aeger inter vivos de dolore nihil quaeſtus eſſet, ſicuti teſtatur Morgagni. "In hoc quidem, inflammati pulmonis connexionem cum pleura fuiſſe vides, et praeterea membranam hanc inflammatione haud prorſus carentem; dolorem tamen qui pungeret memoratum non vides ‡." Unde tamen inflammatio inceperit, aut in qua demum corporis parte morbus ſedem habuerit, haud multum intereſſe putem. Nam cognitio ſignorum, aut de iis judicium factum, ad ſedem morbi accurate ſatis indicandum minus juvat: Neque diverſa ejus ſedes inſigne

† Praelect. ſuis. Vide etiam exp. Halleri.

‡ Morgagni de Sed. et Cauſ. Morborum.

ſigne aliquod diſcrimen in ſtatu ſignorum praeſe aut fert, aut ullam aliam medendi rationem nobis ſuadet.

DIAGNOSIS.

Tres morbi ſunt, a quibus forte medicus, quamvis peritus, *Pneumoniam* primo aſpectu haud facile diſtinguere poterit, *Hepatitis* nempe *Peripneumonia notha*, et inflammatio cordis. Si tamen cognitum primum fuerit, quae horum morborum vera ſint indicia, quae partes ſint affectae, quo corporis habitu, quave aetate ſit laborans, facilis et expedita erit diſtinctio.

In *Hepatitide hypochondrio* dextro ſubeſt dolor, inter premendum acerbior factus, et in *claviculam* et ſupremum dextrum humerum vergens: Difficultas ſpirandi minor: In ſiniſtrum latus decumbi

cumbi vix poteſt: Tuſſis fere ſemper ſicca: Vomitus, ſingultus admodum moleſti.

Inter *Peripneumoniam notham* et *Pneumoniam*, habitus corporis et aegroti aetas optime diſtinguunt. *Peripneumonia notha* in ſenes, debiles, et qui laxiore ſint corporis habitu, aut qui gravedinibus et diſtillationibus ſint obnoxii, aut qui liquoribus *ſpirituoſis* liberius utantur, impetum facit. Caeterum *pyrexiae* ſigna in hoc morbo multo leviora, et calor plerumque haud multum auctus: Tuſſis etiam et dolor lateris minus, quam in *Pneumonia*, vexant.

Inflammatio cordis *Pneumoniam* plerumque comitatur, quorum morborum eadem fere ſigna et remedia, niſi quod in hac inflammatione, quam adeſſe palpitatio et *ſyncope* teſtantur, remedia diligentius ſunt adhibenda.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Praediſponentes.—Status quidam et habitus corporis, aetas, ſexus, thoracis confirmatio, *Pneumoniae* cauſae praediſponentes praecipue ſunt habendae.

Robuſti et pleni huic morbo maxime patent.

Saeviſſime et ſaepiſſime corripit *Pneumonia*, qui lauto nimis artibuſque coquinariis et convivalibus victu corrupto, aut carnibus ſale conditis fumoque duratis nimium crebro utuntur, aut qui liquoribus *ſpirituoſis*, praecipue ſpiritu vini Gallico, (*Brandy* vulgo dicto) nimis ſibi indulſerunt. Hinc venatores, milites, ruſtici, et, ut ex poeta Sydenhamus,

"Multo jam fracti membra labore *,"

in

* Hor. Sat.

in hunc morbum incidunt. Nullum genus hominum ab impetu *Pneumoniae* ſatis tutum. Virile tamen genus, potius quam muliebre, et jam adultos, potius quam ſenes adoritur. Quare tamen viris magis quam foeminis vim inferat *Pneumonia*, in promptu cauſa: Viris, quippe robuſtiore ſunt corpore, et cauſis excitantibus opportuniores. Foeminae, ſi correptae ſint, multo gravius affici dicuntur.

Qui *Pneumonia*, *aſthmate* etiam ſive angina, ſemel laborarunt; vel nimis anguſta thoracis conformatione praediti, ii facilius, praeſertim, ut ait poeta,

"Incertis menſibus anni *,"

hoc eſt, vere et autumno, hoc morbo implicantur.

Excitantes.—De cauſis excitantibus, ſupereſt ut

* Virg. Georg.

ut nonnihil dicamus. Inter has locum certe primum tenet frigus *: Si aëre frigido, vel aqua frigida corpus qualicunque de caufa prius calefactum excipitur. Inter caufas excitantes etiam funt exhalationes acres et aftringentes, quibus affecti funt pulmones. Intemperantia circa victum. Derique id omne, five currendo, five vociferando, five modo alio quo cunque id fit, unde crebrius violentiufque pulmones exercitantur.

CAUSA

* "Caufa evidens externa febrium quamplurimarum "inde petenda eft, quod quis fcilicet vel praematurius "veftes abjecerit; vel ab exercitio incalefcens fe frigori in-"cautius expofuerit; unde poris fubito occlufis, retentif-"que iis halitibus, quibus alias per cutis fpiracula pate-"bat exitus, haec vel illa febris fpecies in fanguine fuc-"ceditur, prout vel generalis conftitutio, quae tum tem-"poris obtinet, vel particulares humorum dyfcrafiae in "hanc vel illam febris fpeciem potentius determinaverint. "Et fane exiftimo, plures modo jam defignato, quam *Pefte*, "*Gladio* atque *Fame* fimul omnibus perire."—*Syden. Opera.*

CAUSA PROXIMA.

De caufa proxima medici multum certaverunt, et adhuc fub judice lis eft. Diverfas auctorum hac de re fententias afferre ratio noftrae brevitatis haud patitur. Obftructio, error loci, fanguinis praeter naturam vifciditas, et complures aliae caufae a medicis hinc inde agitatae fuere, quae tamen minus comprobatae funt. Inflammationis tamen ea demum pro caufa proxima ubique hodie agnofcitur, quae celeberrimo Culleno, aliis tamen in omnibus non aeque, placuit, *fpafmus* nempe in arteriis extremis, unde per earum curfum actio adaucta provehitur. Huic rei quidem fidem facere videntur, tum cutis ficcitas per totum morbum duratura, tum etiam medendi ratio, quam iis remediis quae *fpafmum* folvunt, ut fanguine miffo, emplaftris

quae extrahunt, quae et επισπαστικα nominantur, et ſimilibus, medici maxime moliuntur. Ex debilitate tamen, quoniam quae denſiora eſſe oportet, relaxat, et ex ea aegrae partis congeſtione, diverſorum hujus morbi ſignorum, non ſecus ac aliarum inflammationum, ratio rectius forte eſt petenda.

DE PNEUMONIÆ TERMINATIONIBUS.

Praeter terminationes omnibus inflammationibus communes, quae ſunt reſolutio, ſuppuratio et gangraena, hanc inſuper peculiarem ſibi habere videtur *Pneumonia*, quod ſanguinis tenuiores partes et ſanguinem ipſum in vaſa pulmonum effundit, unde per pulmones libero aëris et ſanguinis curſu impedito, ſtatim ſtrangulatur aeger. Haec *Pneumoniae* terminatio communis, cum exitus funeſtior et minus laetus. De terminatione ejus varia pauca differere licet.

Si

Si remedia laudata mature ſatis adhibentur, reſolutio plerumque locum habet. Qui exitus quidem laetior, et in omnibus inflammationibus internis eſt optandus. Praeit * vulgo, vel potius comitatur, manifeſta quaedam evacuatio: Vel enim aeger ſaepius faciliuſque aliquid aut craſſum

* "Sanatur reſolutione benigna; ſi temperies laxa, humor blandus, viſcoſitas non nimia, pars affecta bronchialis, vel pulmonalis non magna. Sputo cito, libero, copioſo, flavo cum pauco ſanguine miſto, ſatis craſſo, dolorem ſedante, reſpirationem emendante, pulſum ampliorem et pleniorem reddente, in album blandum cito mutato; id fit ſi ſedes mali imprimis eſt bronchialis arteria, aut pulmonalis non valde magna. Alvi fluxu bilioſo, levante, et ſimilia fere ac ſputa deſcripta, ejiciente. Urina copioſa, craſſa, hypoſtatica, levante, cum ſedimento primo rubro, ſenſim albeſcente, ante ſeptimum diem emiſſa. Atque tum reſpiratio adeſt facilis, febris mitis et boni moris, ἀδιψία, calor, humiditas, laxitas, mollities, aequales toto corpore."——*Boerh. Aphoriſ.* 230.

ſum aut ſanguinolentum excreat, vel urinam craſſiorem et albidam reddit: Vel ſudores largiores aequalioreſque toto corpore fluunt: Vel denique ex naribus ſanguinis fluxus, aut cita alvus obtinent. Interea *pyrexia* aliaque graviora ſigna miteſcunt. De tempore tamen reſolutionis et ſuppurationis *Pneumoniae*, nequid certi et univerſale tradi poteſt; utpote cum ex violentia morbi, ex ſtatu et ſexu laborantis, ex rebus aliis incertis quamplurimis pendeant: Frequentius tamen obtinet reſolutio die ſeptimo.

Si vero ad duodecimum vel decimum quartum diem ſine ullo reſolutionis indicio duraverit morbus, vel ſi excreare ſubito deſierit aeger, vel ſi horrores frigidi, tuſſis ſicca, ſpiritus difficultas, adfuerint, ſuppuratio eſt multum timenda. Quum vero dolor ſubito remiſerit, ſi veſpertina febrilis acceſſio fuerit, et in parte dolente gravioris ponderis ſenſus, ſcire licet, ſuppu-

rationem

rationem jam eſſe coeptam *. Subit febris *hectica;* perit aeger. Si in vaſa pulmonum tenuiores ſanguinis partes, vel ſanguis ipſe, vel etiam pus affatim prorſus effunditur, ſuffocatur aeger, ſi vero modice, expuit interdum, et cito convaleſcit: Quemadmodum docet Tiſſot, "Si "l'ouverture eſt petite de façon qu'il ne puiſſe "ſortir que peu de pus á la fois, ſi la quantité "totale de pus n'eſt pas conſidérable, ſi le ma- "lade eſt encore fort, il crache ce pus et ſe "trouve ſoulagé. Mais ſi la vomique eſt con- "ſidérable, ou ſi l'ouverture eſt grande, et qu'il "ſe répande une grande quantité de pus á la "fois, ou ſi le malade eſt tres foible, il meurt "dans

* "Fieri autem jam re ipſa cognoſcimus per haec: "Ubi leves, vagae, ſaepe repetentes, ſine manifeſta cauſa "horripilationes contingunt; dolor remiſit; dyſpnoea "manet; genae et labia rubent; ſitis adeſt; febricula "vexat, imprimis veſpertina; pulſus debilis molliſque."—*Boerh. Aph.* 834.

" dans le moment ou la vomique s'ouvre et cela
" quelquefois lors qu'on s'y attend le moins †."
Haec *Pneumoniae* terminatio evenit, quum jam diu non excreaverit aeger, ſi ſpirandi difficultas et in parte dolente ſenſus ponderis aegre ferendus adſint.

Pneumoniae gangraena rarius eſt exitus, niſi effuſio ſanguinis ſimul obtinet.

RATIO SIGNORUM.

Inter cauſas excitantes longe frequentiſſimam eſſe frigus diximus, quod corpore exceptum ſudorem ſubito impedit, et in corpus internum vergens *pyrexiam* facit.

Dyſpnoea ad duas cauſas referenda eſſe videtur: Partim ad ſanguinis congeſtionem in pulmonibus,

† Avis au Peuple.

monibus, quae aëris liberum curſum per ipſos impedit, et id crebrioribus reſpirandi conatibus pulmones rependere moliuntur: Partim ad lateris dolorem, qui inter ſpiritum plenius ducendum intenditur ſemper: Quo violentiores hae cauſae ſunt, eo magis ſpirandi difficultas urget.

Tuſſis partim cauſis jam enumeratis, utpote quae ſpiritus difficultatem faciant, partim humoribus ex glandulis *bronchialibus* oriundis tribuenda eſt; qui ſcilicet fuſius ſecreti, et nimium acrimoniae cujuſdam peculiaris habentes, vaſa pulmonum irritant tuſſimque gignunt.

Ex diſtentione vaſorum tunicarum, et ex ſanguinis majore et copia et impetu, oriundum eſſe dolorem judicare licet. Quod vero haud ſine dolore cubare poſſit aeger, ex inflammatione pulmonum provenire cenſendum: Si fibram alteram

teram inflammatio occupat, in latus ſanum, ſi utramque in dorſum, ſeſe tantum reponere datur.

Rubra facies, rubrique oculi, dolor etiam capitis tum congeſtioni ſanguinis in pulmonibus, unde liberior ſanguinis reditus a capite impeditur, tum etiam cordis arteriarumque viribus nimis citis tribuitur.

PROGNOSIS.

Propter ſummam pulmonum utilitatem, et eximium in corpore humano uſum, laboranti periculum *Pneumoniam* ſemper faceſſere ſatis patet. Quanquam ex initiis omnino laetis, exitus interdum prorſus triſtes *Pneumonia* habeat, attamen vix alius eſt morbus qui aut promptius remedia patitur, aut iiſdem facilius cedit, quam haec ipſa *Pneumonia;* adeo ut ipſis faucibus lethi

ereptus,

ereptus, aeger ſanitatem medicinae viribus acceptam referat.

Tuſſis ſicca violenta, ſpirandi maxima difficultas ut vix et ne vix quidem niſi bene rectus ſpirare poſſit aeger, ſudores cum facie tumida et rubente, caput collumque occupantes, debilitas magna, dolor erratus, delirium, infauſtum exitum indicant. Contra tamen, ſi febris, ſi dolor lateris, et ſi qua alia mala jam memorata, minus urgent, praeſertim ſi tuſſis etiam copioſam, craſſam et cruentam pituitam citat *, exitus laetiores fore ſignificant.

* "Αἵματι δε ξυμμεμιγμενον μη πολλῳ πτυελον ξανθον εν "τοισι περιπνευμονικοισιν, εν αρχῃ μεν της νουσου, πτυομενον "περιεστηκον, και καρτα ωφελει."—*Hippocr. Prognoſt.*

RATIO MEDENDI.

Confilia *Pneumoniae* medendi funt,

Refolutionem inducere:

Excreationes pectoris purgare, facilefque facere:

Omnia quae irritant cavere:

Sub finem morbi viribus aegroti confulere.

Ad refolutionem tamen obtinendam, caufae remotae, fi quae adfint tollendae, quales funt frigus, vapores acres, pulmonum exercitationes crebriores, et quas alias caufas excitantes fupra memoravimus. Impetus fanguinis adauctus per totum corpus potiffimum vero per pulmones eft imminuendus, quam rem certe fanguinis detractio matura, copiofa et repetita maxime juvat. Quantum vero fanguinis, quotiefve mitti poffit,

poſſit, dictu difficile, vel potius dici nequit. Quid vero hac in re agendum, ipſa morbi indoles, corporis habitus, aegroti conſuetudo vireſque optime conſtituere videntur. Ter quaterve ſanguinem mittere plerumque ſatis erit, ſi prima aut ſecunda copioſior detractio fuerit: Immo et laborantibus quibuſdam ſanguinem copioſius ſemel detractum graviora ſigna levaſſe ſatis notum. Si vero redierit ſpirandi difficultas: Si redierit dolor lateris, ad hoc remedium iterum iterumque recurrere proderit. "Nemo enim "nemo profecto ſaeviſſimum et inſidioſiſſimum "hunc hoſtem ſerio glorioſeque triumphaverit, "niſi ſtricto ferro, vulnereque aliquoties in-"flicto res ſtrenue agatur, victoriaque fuerit "admodum cruenta. Nam nihil niſi *ſanguis* "*redimat populos*, ut cum Lucano loquar *." Nec defuerunt medici praeſertim apud antiquos, qui in *Pneumonia* non ſecus ac in aliis inflammationibus

* Trillerus de Pleuritide.

mationibus febribusque, ne satis ante fluxisse, quam anima deficiat, praecepere. "Hoc au-
"tem, (ut ait noster Professor Gregorius)
"quamvis insigniter aliquando prodesse poterit,
"rarissime tentandum est; salutares enim effec-
"tus talis animi defectionis minime certi aut
"perpetui sunt; ipsaque suo incommodo et sa-
"ne periculo interdum non caret *."

Sydenhamus medicorum maxime inclytus et accuratissimus sanguinem in *Pneumonia* ad uncias quadraginta detrahendum statuit, quanquam in hac re nulla certa regula tradi potest. Si vero sanguis missus vires aegroto adeo subduxerit, ut ulterius mitti periculosius jam esset, nec interea mitescere morbus coeperit, cucurbitulae cruentae, hirudines, fomenta, malagmata, partibus dolentibus admota utilia erunt: Utiliora his tamen emplastra ad extrahendum: Eoque magis si post sanguinem semel iterumve missum adhibita.

* Conspect. Med. Theoret.

adhibita. “ Sanguis poſt quartum vel quintum “ diem non detrahendus, niſi venaeſectionem “ nova depoſcunt ſymptomata; quia ſuppura- “ tionem jam inceptam impedit *.”

Ut ex facili excreet aeger varia variis temporibus excogitarunt medici. *Gummi ammoniacum*, *ſcillae* radicem, aliaque hujuſmodi quam plurima praecepere nonnulli. Quae tamen omnia minime profuiſſe inveniuntur. Aquae etiam calidae, cui aliquid aceti ſit immiſtum, vapores pulmonibus exceptos laudavere plurimi. Sed remedia hujus generis efficaciſſima ſunt, quae vomitum faciunt, qualia praecipue ſunt *antimonium tartarizatum* et *ipecacuana* parvis portionibus adhibita, et circa finem morbi non tuto magis quam commode dantur.

Tuſſim maxime pendere ab acriori materia ex

* Hom. Principia.

ex glandulis *bronchialibus* ſecreta ſupra memoravimus: Sublata itaque acrimonia tuſſim ſupprimi patet. In hunc finem oleoſa aliaque medicamenta quae leniunt maxime et molliunt, ſunt adhibenda.

Si corpus ſponte inſudat, ſignis lenioribus inſuper viſis, ſudorem tenuibus et dilutis potionibus, calore externo vitato aliiſque ſtimulis omiſſis, adjuvare licet: Alioquin medicamentis quae ſudorem movent in Pneumonia tutius abſtinendum.

Omni quod irritat, manente morbo, ſummo ſtudio eſt vitandum: Pulmonibus nihil magis inimicum quam durior exercitatio quae loquendo dicendove fit, quippe quae pulmones jam inflammatos ſtimulat prorſus et pungit. Cibus vero quam maxime tenuis, refrigerans, levioriſque etiam ſucci eſſe debet: Victus omnis craſſior

ſior alienus; carnibus, quae quo pinguiores ſunt, eo pejores, liquoribus etiam fermentatis et *ſpirituoſis* aegrotantibus interdicere oportet. Conclavi recenti ab auris uti decet. "Feneſtrae "(ait Trillerus) frequenter per diem nonnihil "aperiundae ſunt, ſudo imprimis et clementiore "coelo, quo aër purior, ſalubrior, et frigidior "paullo intromittatur, ne miſeri aegroti putrida ſua atmoſphaera circumfuſi, ſordidas ſuas "exhalationes continuo inſpirando et reſorbendo ſuffocentur tandem et in vivum quaſi cadaver commutentur †." Calorem vero conclavis oportere non eſſe ultra gradum ſexageſimum in *thermometro Fahrenheiteano* obſervat Cullenus.

Per totum morbum alvus ſolutior eſſe debet, quae ut aſtricta ne ſit, iis quae molliunt, laxant et refrigerant, eſt injicienda.

Ad

† De Pleuritide.

Ad fitim fedandam, quae, durante morbo, aegrum plerumque male habet, potionibus acidis, *tamarindis* etiam et pomis, aliifque fructibus acidulo fapore utendum eft.

De ufu opii in *Pneumonia* varia medicorum eft fententia. Ab initio certe morbi, utpote quod tum noceat, abeffe debet. " But in a " more advanced ftate of the difeafe," ut fummi illius viri reique medicae peritiffimi verbis utar, " when the difficulty of breathing has " abated, and when the urgent fymptom is a " cough, proving the chief caufe of the conti- " nuance of the pain and of the want of fleep, " opiates may be employed with great advan- " tage and fafety †."

Ad finem morbi cum jam abierint figna inflammationis, et ob plurima morbi mala fumma debilitate

† Cullen's Firft Lines.

debilitate ſit aeger, cibus validior, ut nutriat, non oneret, dandus eſt; aliquantulum etiam vini forte dandum: Proderit modica exercitatio.

Jam vero pluribus diſſerere de hoc tam triſti morbo, cujus ortum, progreſſum, exitum, qua brevitate, quamque accurate potui, deſcribenda mecum ſtatui; quae hic remedia proferuntur, ſi opportune, ſi qua alia demum oportet ratione, dantur, ſperans ad morbum levandum, ad aegrum reficiendum ſuffectura, ſuperſedeo.

F I N I S.